



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 103. Alexandri Cardinalis molimina pro impediendo Navarræ Principis
connubio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

& a se Italice redditam Pio V. nuncu- Sæcul. XVI.
A.C. 1572.
paret, hic eidem perbenignis verbis gra-
tes rependens ducentos aureos dono
dedit, suoque Datario præcepit, ut ejus
Filio beneficium proxime vacaturum
conferret, si is aliunde ad illud possi-
dendum requisitis præditus esset doti-
bus.

§. CIII.

*Alexandrini Cardinalis molimina pro
impediendo Navarræ Principis con-
nubio.*

Summus Pontifex cum immoto Reli- Thu. l. c.
gionis studio contra hæresin insur-
geret, nuntiumque acciperet, quod Ca-
rolus IX. Franciæ Rex Calvinistis pa-
trocinaretur, simulque Navarræ Regina
proxime hanc aulam accessura esset,
hinc rursus Alexandrino Cardinali suo
in Galliis Legato in mandatis dedit,
ut apud Regem ageret, illumque eo indu-
ceret, quatenus matrimonium inter Soro-
rem suam, & Navarræ Principem præ-
pediret: igitur Cardinalis Regem acce-
dens de hoc connubio sermonem inges-
sit, suavitque, ut potius Sororem suam
Lusitaniæ Regi, quam Navarræ Prin-
cipi in conjugem offerret: præterea
eundem certiore redderat, quod Pius
V. nunquam ejusmodi nuptiis assensu-
Hist. Eccles. Tom. XLVIII. Xx rus,

Sæcul. XVI. rus, minus vero petitam legis veniam
A.C. 1572. concessurus esset.

Verum Rex responsi loco semper publicam quietem ab hoc connubio dependentem caussabatur, nec Cardinalis illum a concepto suo proposito dimovere poterat: quinimo referunt Historicorum nonnulli (*), Regem, cum urgeretur, tandem hæc respondisse, „utinam omnia tibi enuntiare possem, „Alexandrine, profecto tu, & Pontifex intelligeretis, nihil ad Religionis „res in Regno constituendas, & iuratos Dei, ac Gallix hostes perdendos „his nuptiis aptius esse: ceterum breve „fore spero, ut Pontifex consilium, & „pietatem meam, incensumque Religionis ardorem ex proposito mei eventu „laudaturus sit. „

His dictis, Rex manu Alexandrini Cardinalis compressa suum magni pretii annulum de digito detraxit, eique obtulit, his verbis eum affatus, „habe „hanc tibi Arham, & pignus fidei datæ, meique nunquam a Sacra Sede „defecturi obsequii, consiliique contra „sectarios impios, prout recepi, prope diem exequendi. „ Alexandrinus excusaverat se ab annulo accipiendo, & Pon-

(*) Solus id refert Thuanus mihi fol. 1033.
 Hb. 49.

Pontifici, ac sibi sufficere fidem a Rege Christianissimo datam respondit, quæ majus, aut certius pignus petere, aut secum ad Pontificem Patrum suum perferre non posset.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. CIV.

Pii V. Pontificis infirmitas.

Cum renum dolores, quibus summus Pontifex per plures annos afflictatus, Mense Martio tantopere ingravescerent, ut nullam in medicamentis spem repositam quæreret, reliquos vitæ suæ dies unice pietatis operibus sacre intentus erat, suosque cruciatus patientia vere christiana superans semper Deum sibi præsentem habuit, resumptisque viribus paulo antea septem Romanæ Urbis Basilicas potissima ex parte pedes incedens pie visitabat, postea autem ipso Dominicæ resurrectionis die ex ambone cunctis bene precabatur, & pro more suo sermonem ad populum habebat: tandem morbo indies aucto sese proximæ morti accingebat, ac tertio ante obitum suum die Sacris Ecclesiæ Sacramentis ab Alexandrino Cardinale Nepote suo receptis die prima Maji altera noctis hora animam suam Deo reddidit, pronuntiatis illis ex Paschali hymno verbis: *Quæsumus Auctor omnium &c.* Tum ætatis suæ annum agebat

*Thu. l. 51.
p. 788.
Spond. hoc
anno n. 5.
Catenam vi-
ta Pii V.
Gabut. vita
Pii V. l. 5.
c. 13.*